



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Observationes quædam ad huius controuersiæ explicationem. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

4 me. Ceterum quamuis illius interpretationem admitamus, non possumus non sub illis verbis causam intelligere. Nam si illuc me posset deducere dextera Dei, etiam si ipse sua substantia ibi praesens non esset, frustra diceret Psalmista, tantum abest, ut effugiam praesentiam tuam, ut illuc etiam manus tua, & potentia deducat me. Id ipsum expressit videtur Paulus Actorum 17. cum de Deo dixit: Non longe abest ab vnoquoque nostrum, & subdit causam, In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus: Sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt. Quorum sane sententiam ita probare videtur Paulus, ut ex illa optima ratione suam confirmet.

Secundo loco ex Patribus hoc ipsum non obscure colligi putant. Philo enim lib. de confusione linguarum satis post medium, inquit: Deus autem omnia implet non contentus, sed continens. Dicit Deum non contineri, quod non circumscribitur, aut finiatur loco: dicit autem omnia implere ea continendo, quod omnia conseruet, & operatione sua foueat. Ideo ergo censet omnia Dei maiestate impleti, quod ab eo omnia conseruentur. Quocirca tanquam fundamentum, & ratio existendi in rebus, Dei operatio recte assignatur.

Modus hic loquendi Philonis familiaris est sanctis Patribus. Ita loquitur Hilarius in illud Psal. 124. Montes in circuitu eius, & 1. de Trin. parum à prin. August. 1. confell. cap. 3. & de essentia diuinitatis, non longe ab initio, Bernard. ferm. 6. in dedic. Ecclesiae: Anselmus in Prologo c. 19. In eundem modum Theophilus Antiochenus, lib. 2. ad Antholyum, in 5. tom. Biblio. sacrae, parum post initium inquit, Deum non capi loco, quia iam locus maior esset Deo; Verum (inquit) ipse est omnium locus. Ac si dicat, ita in loco est. ut ipse omnia, in quibus est, virtute sua contineat, & conseruet, ac proinde quasi eorum sit locus. Res enim omnis loco suo naturali conseruari dicitur.

Clarius hanc sententiam videntur tradidisse, primum Iulianus de summo bono, lib. 1. cap. 2. his verbis: Immenitas diuina magnitudinis ista est, ut intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum: & ideo interioriorem ut omnia contineat, ideo exterioriorem ut in circuitu scripta magnitudinis suae immensitate omnia concludat. Per id ergo quod exterior est, ostenditur esse creator: per id quod interior, gubernare omnia demonstratur. Ac si dicat, ideo intra omnem est creaturam secundum substantiam, quia omnia ita gubernat, ut esse eorum ab ipso pendeat. Deinde Damasc. de fide, cap. 16. locum Dei vniuersae definiens, asserit, eum esse, ubi perspicua eius operatio existit. Ipse enim, inquit, circa vllam permixtionem omnia permeat, rebusque omnibus efficacitatem impertit. Postremo Anselmus in Monologio, c. 21. prope finem post multa in eodem c. & precedenti, quae hanc videntur confirmare sententiam, concludit his verbis: Sed quia aliquid sine ea (scilicet essentia Dei) neque visum, neque vquam est, necesse est illam esse ubique & semper. In quem sensum dixerat cap. 20. Quando est in vno loco, nullum bonum & nulla essentia est interim in aliis locis, quia sine ea prorsus aliquid non existit, ac si diceret: si Deum in vno loco concludamus, cetera omnia prorsus interire, necesse est: id quod verum non esset, si Dei operatio sine illius praesentia in rebus posset intelligi, ut Scorus contendit.

Tertio loco hae sententiae ratione in hunc modum probatur. Causa necessario coniuncta est

cum suo effectu, ut tradit Arist. 7. Phys. à textu 10. Aristot. vsque ad 13. Deus autem est causa rerum omnium, Ratione confirmatur. imo & propria causa ipsius esse, sicut ignis est propria causa alterius ignis, & calor caloris, non tantum initio, cum res incipiunt, sed quando illarum esse manet, quia omnia continuo fouet, & conseruat: ergo rebus omnibus secundum suam substantiam coniunctus esse debet.

Hanc rationem ita explicant Caiet. & Ferrar. ut maior illius propositio intelligenda sit de causa, quae operatur (ut aiunt) immediatione virtutis, & suppositi. Quae res secundum Caietanum idem est, Deum esse praesentem secundum potentiam proximè operantem, atque secundum essentiam, & substantiam. Asserunt autem, illud agens operari immediatione virtutis, quod virtute propria, nec aliunde mendicata; immediatione vero suppositi, quod sine alia causa sibi supposita, & interiecta, in aliquid operatur. Sic vero intellecta propositione, optime sequitur Deum ubique esse: ipse enim ita est propria causa ipsius esse in rebus omnibus, ut illud efficiat, & propria virtute absque vlla alia causa intermedia continuo conseruet: operatur ergo in rebus omnibus immediatione virtutis, & suppositi, ac proinde ipsis coniunctus secundum substantiam esse debet: appellant vero esse rerum non solam existentiam, sed totum esse ipsarum, quod continua quadam creatione à Deo conseruatur: Amplius autem explicans Caietanus hanc sententiam, inquit, hanc praesentiam Dei in rebus bifariam capi posse: tum pro contactu Dei cum illis, qui quidem nihil est aliud, quam ipsius Dei operatio: tum etiam pro relatione praesentiae, quae in Deo est aliquid rationis, cuius veluti fundamentum est operatio. Ex quo infer, operationem esse Deo rationem existendi in loco, sicut est quantitas corporibus. In quem sensum Aegidius d. illa 37. a. 2. q. 1. dixit, Deum esse in loco non propter quantitatem molis, sicut corpora, sed propter quantitatem virtutis, quae est sua ipsius operatio.

Præterea recentiores aliqui prædictam sententiam ita confirmant. Impossibile est, aliquid moueri etiam à Deo de extremo ad extremum sine transitu per medium: ergo impossibile est, Deum in locum distantem operari. Sed quemadmodum mobile debet continuo per spatium moueri, ita quodcunque agens, etiam Deus, debet continuo per medium operari, ac proinde esse in toto medio, ubi operatur; sicut mobile est in toto spatio, per quod mouetur. Postremo alij probant, quia cum potentia Dei sit infinita, recte sequitur ex vi suae operationis Deum ubique esse. Nam si potentia Dei peculiari loco concluderetur, finita esset.

CAPVT III.

Observationes quaedam ad huius controuersiae explicationem.

A Nequam meam in hac difficultate sententiae proferam, duo praemitam notatione digna. Vnum est, tamen si omne agens necessario debet esse coniunctum secundum substantiam cum suo effectu, hoc ipso quod operatur, id tamen non eadem prorsus ratione Deo, & agentibus creatis conuenire posse: nam agentia creata, praesertim si corpora sunt, de quibus agit Aristot. 7. Physic. text. illo 10. iam citato, ad hoc ut operentur, indigent loci propinquitate. Quare tanquam aliquid praeuium, & ad agendum requisitum, propinquitas in ipsis

Caietanus, Ferrar. Explicatur à Caietano ratione Thom.

7

Aegidius.

Rursum confirmatur.

8

Tertia probatio.

Simultas agentis & ipsius non eodem modo Deo, & creaturis agentibus conueniunt.

Prima ratio.

ipſis præcedit. De agentibus vero creatis ſpiritua-
libus eandem eſſe rationem, oſtendimus iſta
diſp. 189. cap. 2. Deus autem etiam in ſententia re-
centiorum Thomiſtarum, quos in 2. cap. comme-
moravi, non ideo præſens eſt rebus, ut in ipſas ope-
retur: nec propinquitatem loci, ut aliquid necella-
rium ad operationem expoſcit; alioqui non po-
tuiſſet facere uniuerſum ex nihilo, cum antea non
fuiſſet præſens rebus ipſis, quas initio ex nihilo
prodixit. Tum etiam, ut diſp. 29. monſtrabimus,
Deus priuſquam mundum produceret, non fuit
in illa vacuitate imaginaria, in qua quidam arbi-
trantur uniuerſum fuiſſe creatum: & quamuis
Deus in illo ſpatio inani ante mundi creationem
fuiſſet, in ipſis tamen rebus creatis, quas initio
produxit, tunc incepit eſſe, quando eas de nihilo
ad eſſe vocauit. Ad earum igitur productionem
necellarium non fuit, priuſ in ipſis exiſtere. Et qui-
dem in omni opinione fatendum eſt, præſentiam
Dei ſive in rebus, ſive in loco imaginario, necel-
ſariam non eſſe ad rerum creationem; eo quod po-
tentia Dei infinita cum ſit, propinquitatem loci ar-
ctari non debet.

*Secunda ra-
tio.*

Deinde ſi Deus, ſicut alia agentia, indigeret
propinquitate ad agendum, ſufficeret ei, ſicut
omnibus alijs agentibus eſſe iuxta, non intra res
ipſas, in quibus operatur. Nunc vero contendi-
mus ex operatione, vel aliunde probare, Deum eſ-
ſe non ſolum propinquum, ſed intimum rebus
omnibus. Ex doctrina igitur Ariſtotelis de propin-
quitate agentium, præſentia Dei in rebus non ſatis
oſtenditur. Reſpondet Durandus, ſpiritualia agen-
tia hoc præſtare corporibus, quod hæc cum ha-
beant extrema ſuæ quantitatis, qua nequeunt res
alias penetrare, ſatis eſt, ſi rebus, in quas operan-
tur, coniuncta ſint ſpiritualia vero, cum quantita-
te careant, optime poſſunt res corporeas penetra-
re. Ceterum hoc ſuolum eſt: nam quamuis ſpi-
ritus natura ſua intra molem corporis eſſe poſſit,
corpus autem intra aliud corpus eſſe nequeat; ex
vi tamen operationis non ſequitur ſpiritum intra-
rem, in qua operatur, eſſe debere, ut in eam agere
valeat, ſi corpori, quod eſt agens minus perfectum
ſatis eſt, iuxta rem eſſe, ut in eam operetur: ad ma-
iorem enim perfectionem agentis pertinere vi-
detur, minus indigere propinquitate loci ad ope-
randum: ac proinde perfectius eſt in id, quod ma-
gis diſtat, etiam per interiectum ſpatium, operari.

Quod autem dixi de creatione omnium re-
rum, videlicet propinquitatem loci Deo necella-
riam non eſſe ad creandum, verum eſt etiam de
conſervatione, quæ eſt quedam continua creatio.
Quamuis enim priuſ duratione, ſaltem mo-
mento temporis, Deus ſit in rebus creatis, quam
ipſas conſeruet, ea tamen præſentia non eſt quid
præuium, & necellarium ad conſervationem, &
ſicut initio Deus non priuſ exiſtens in rebus, eas
creauit, ſic etiam continuando eandem operatio-
nem, nec ad hoc propinquitatem loci requirit, ipſas
conſeruare poteſt. Quocirca præſentia Dei conſer-
uationem rerum ita comitatur, ut ad illam nihil
proſus conducat.

Hoc ipſum manifeſte confirmant rationes Sco-
ti, quas 1. cap. huius diſputationis retulimus. Qua-
re non recte ait Durandus quæſt. citata Deum ſi
rerum conſervatione ſe habere inſtar ſigilli im-
primentis figuram in aqua, quod necellario præ-
ſens eſt aquæ, quandiu figura in ea conſeruatur.

*Præſentia
Dei non eſt
necellaria ad
creationem
nec conſer-
uationem.*

*Durand.
Conſeruatur
exemplum
quodam
Durandi.*

hæc enim ſigilli præſentia ex parte cauſæ conſer-
uantis tanquam aliquid præuium, necellarium eſt
ad figuræ conſeruationem. Dei autem præſentia,
quamuis cum ſua operatione, qua res conſeruatur,
connexa ſit, non eſt aliquid necellarium ad opera-
tionem, ſed vel ipſam necellario conſequens, ut
contendit poſterior opinio, vel aliquid necellario
ipſam comitans, ut Scotus, & alij affirmant.

Alterum quod eſt obſeruandum, ex dictis con-
ſequitur, nimirum ita in opinione recentiorum
Thomiſtarum præſentiam connexam eſſe cum
operatione Dei, ut operatio ſit quali fundamen-
tum præſentia, ac proinde ad operandum mini-
me necellaria: propterea dixi, in ipſorum opinio-
ne præſentiam non eſſe in Deo quid præuium, &
requiſitum ad operandum; ſed totam quæſtio-
nem eſſe, utrum ita ſit præſentia cum operatione
coniuncta, ut eam conſequatur velut fundamen-
tum, ſicut contendunt Thomiſtæ, an aliunde,
nempe ab eſſentia Dei ſolum proveniat, & ope-
rationem necellario comitetur, ut affirmat Sco-
tus. Neque enim Scotus ait alicubi Deum opera-
ri, ubi non ſit eius ſubſtantia: ſed aſſerit, Deum eſſe
ſecundum ſubſtantiam præſentem, ubiqueque
operatur, præſentiam tamen non ex operatione,
ſed ex eſſentia immenſitate tanquam ex propria
cauſa provenire.

Quocirca inepte ſatis Dionyſius Carthuſianus
d. illa 37. q. 1. Scotum reprehendit, quod aſſerat,
non repugnare, Deum eſſe loco ſingulari conclu-
ſum, & in oſtans operari, quali ille exiſtmet, hoc
ſimpliciter non repugnare. Neque enim putauit
Scotus, ſimpliciter heri poſſe, ut Deus ſit aliquo
loco peculiari deſinitus: ſed ſolum docuit, ex vi ſo-
lius operationis non necellario ſequi, ipſum eſſe,
ubi operatur, ac proinde per locum intrinſecum
non repugnare, ſi aliunde id fieri poſſet, ut Deus in
loco peculiari exiſtens in diſtante materiam
operaretur: quinimo hæc duo ita ſecum conſtare,
ut ex vi vnius contradictorium alterius non ſequa-
tur: ſimpliciter tamen concedit Scotus, & qui eius
ſententiam ſequuntur, fieri non poſſe, ut Deus ſit
loco peculiari circumſcriptus, & in diſtans opere-
tur, non quod ex vi operationis id ſit impoſſibile,
ſed quia immenſitati ſubſtantia ipſius alicubi non
eſſe, repugnat.

Antiqui vero Scholaſtici ſuperius allegati præ-
ter Egidium non ſatis explicant, utrum præſentia
Dei ſit quid præuium requiſitum ad operandum;
an vero ipſa operatio ſit fundamentum Deo, ut
exiſtat in rebus. Ex illis tamen S. Thomas aſſerere
videtur, eſſe non fundamentum, ſed aliquid præ-
uium.

CAPVT IV.

*Media opinio, ſolutione teſtimoniorum poſterioris
ſententia probatur.*

Cum apud Scholaſticos omnes indubitatum
ſit, Deum immenſum in omnibus rebus exi-
ſtere; tota huius rei controuerſia, & opinionum
uarietas in aſſignanda ſolum ratione huius Carho-
licæ veritatis poſita eſt. Quare, quid d. allatis ra-
tionibus mihi videatur, ex iactis fundamētis pro-
babili etiam ratione ductus in hoc capite ſubij-
ciam. Duo igitur mihi videntur, vnum eſt, non ſo-
la fide, & Scriptura ſacra nobis conſtare, Deum
ubique eſſe, ſed etiam optima ratione philoſophi-
ca id demonſtrari. Alterum eſt, tamen non ſe-
quantur

11

*In omni opi-
nitione præſen-
tiam ad ope-
randum non
eſſe necella-
riam.*

*Difficilis
in quo verſa-
tur inter au-
thores.*

12

*Liberatus
Scotus à ca-
lumnia.*

13